



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Cur Devs tot aduersos, in terris, casus esse velit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

C A P V T X X V I .

C A S V V M fortunatorum & infortunatorum alie caussa, aliag^s exempla, vicissitudinem inconstantiamq^s docen-
tia humana felicitatis.

AT omnia sūsque déque eunt in Mundo? nulla est cō-
stantia? vexantur boni, mali exaltantur? Perimit iñox-
ios, & seruat multos Fortuna nocentes? Qua de cauf-
fa Pittacus Mylene templis scalam fecit, ad nullum alii
vsum, quam ut esset dedicatum donū, adambrans fortunæ
repentinos ascensus atq^s, descensus: ascendentibus quodammodo his, qui-
bus fortuna aspirat: descendenteribus vero, qui miserijs premuntur. Re-
gè quidem Pittacus, si per fortunam intellexit eas res, quæ fortunæ
videntur accidere, cum interea causis occultis diuinitus dentur. Nā
Dominus mortificat & vivificat: deducit ad inferos & reduct. Domi-
nus pauperem facit & ditat: humiliat & subleuat, vel, sicut Ausonius
loquitur: Fortuna nunquam s̄istit in eodem statu: Semper mouetur, va-
rat, & mutat vices. Et summa in imam vertit, ac versa erigit. Quod
si Pittacus ex hac rerum humanarum varietate Deam voluit pro-
cedere, quæ Fortuna appellanda sit, Deum & ipse ignorauit, cuius
sapientissima potentiae opus est, in Mundo sūsque déque ire res-
plurimas, & tamen Mundum conseruari; &, in tanta inconstan-
tia, Vniuersum tamen constare. Quod autem vexentur boni & ma-
li exaltentur, eacodamone quidem procurante, inuidia est; ac
Numine permittente, benevolentia est, magnara inde virtutibus
exercendis occasionem suppeditante. Idcirco enim, malus ille spi-
ritus, ait Lactantius, in primordijs transgressionis non statim ad pœnam
(quoad locum & afflictionem) in Inferno, nos quo ad ignem, quo
latim torqueri cœpit) derrusus à D E O est, ut hominem malitia
sua exerceat ad virtutem. quæ nisi agiterur, ni assida vexatione robo-
retur, non potest esse perfecta. si quidem virtus, est perferendorum malo-
rum fortis ac invicta patientia. Ex quo sit, ut virtus nulla sit si aduersa-
rūs desit. Huius itaq^s, peruersa potestatis cum vim sentirent virtuti re-
pugnantem, nomēnq^s ignorarent, Fortuna vocabulum sibi inane finxe-
rum. Sapientius fuissent facturi, si Dei arcana, in talibus malis, pe-
netrare,

I.

Ælian.lib.2.
Variar.c.29.

1. Reg. 2.

Lactant. I.3.
diuin. Instit.
cap.28.

ne trare, rerumque caducarum fragilitatem, agnoscere, inde que
& modestiam, & patientiam, & fortitudinem, aliisque præclaras
opera exercere didicissent; cristasque demisissent, quas, in subli-

Senec. 1.1. mi fortuna, nimium quantum erexerunt. Sine alio obseruare vo-
lueris, ait Seneca, (liberius enim inter aliena, iudicium est) sine te

epist. 98. ipsum, fauore seposito; & senties hoc, & confiteberis, n.l., ex his
optabilibus & charis, utile esse; nisi te contra levitatem casus, rerumq;
casum sequentium instruxeris: nisi illud frequenter, & sine querela, in-
ter singula damna, dixeris: DIIS ALITER VISVM EST.
Visum est enim, non oportere esse, in hac vita, felicitatis sta-
litatem.

II.

Nam, vt taceam, sicut, in pictura, differentia colorum; in
Musica vocum varietas; in theatro, personarum multitudo gra-
tiam habet; ita & in hoc Vniuerso venustam esse rerum mutabi-
litatem; utilitas præterea maxima Casibus inest. Fastidiretur Mun-
dus, si omnia vnum campus essent. Sunt igitur montes, in quos al-
cendamus; sunt valles, in quas gradum reuocemus: neq; in plano
aliquis tam suauiter quiesceret, si in alto non adeo fatigaretur. Sic
euenit in hominu vita; ibi ipsi morbi cōmendant sanitatem; calami-
tas illustrat felicitatem. Hæc rota est Fortune; hæ scalæ Pittaci; im-
mò & Iacob, Patriarchæ, ni fallor, qui videt in somnis scalam stan-
tem super terram, & cacumen illiustangens cælum: Angelos quoq; Dei
ascendentes & descendentes, per eam, & Dominum unicum scale.
Nempe Domini hoc est opus; sic ad eum ascendendo itur; pe-
prospera, per aduersa; per summa, per ima; & saepe descendendo
ascenditur, saepe descenditur ascendo. Multi enim pereunt,
promoti ad altas dignitates: multi corriguntur & recti fiunt, dum
desinunt esse rectores. Ipse Nabuchodonosor, nisi comparatus
iumentis insipientibus, ad pecudes, abiectus fuisset, nunquam sa-
pere didicisset. Hac ipsa de cauſa Lotharius & Isaacius Impp. V-
go Coenredus, Rachis, Sanctocopius, Petrus Aragonius, aliique
complures reges à sceptro & purpura, ad vilem tunicam & soli-
tariam cellam descenderunt, vt ad cœlestem coronam eleuaren-
tut. Nec alia de cauſa Carolus V. solio reliquo, se abdidit, quam
Rei. cap. 26. vt, in terris, se humilians, in cœlis exaltaretur. Credo, ipsum
Beda lib. 5 orbem terrarum volubili Fortune globo idcirco similem esse, ve
hist. cap. 20. intelligamus, nihil in eo constare; nec figi in eo gradum posse.
Ælian. 1.4. Variar. c. 8. Quis tam stupidus est, inquit ille, qui instabiles & repentinæ fortune
commu-

Baron. an.

235. & anno

1059. & 750.

Plat. 12. de

bono stat.

Rel. cap. 26.

Beda lib. 5

hist. cap. 20.

Ælian. 1.4.

Variar. c. 8.